

prohibere aquam profluentem. Ovidius:

*Quis vetet adposito lumen de lumine sumi?
atq; cavum vastas in mare servet aquas?*

Et Latona ad rusticos Lycios, apud eundem Metam. VI. Fab. IV: *Quid prohibetis aquas? Usus communis aquarum est.* Hujusmodi rebus nemo arcendus, nisi forsan per atrocissima scelera effecerit, ut meritò pro detestabili sit habendus. Inde illud apud Ciceronem nostrum aliosq; *Interdicere alicui aqua & igni.* Et Plutarchus Lib. de Invidia & Odio scribit, Eos, quorum calumnia oppressus fuit Socrates, ut extreme malos, ita averfatos esse cives Athenienses, ut neq; ignem iis accenderent, neq; interrogantibus responderent, neq; in balneo aqua uterentur eadem, sed qua illi lavissent, eam tanquam pollutam a ministro juberent effundi: donec illi impatientia odii sese suspenderint. (4) *Consilium fidele deliberanti dare.* Unde Platoni in Theage, Συμβολὴ ἱερὸν χεῖμα, *Consilium, sancta res* appellatur. Et Seneca IV. de Benef. *Ergo nec consilium deliberanti dabis ingrato, nec aquam haurire permittes &c.* Cap. 29. Vocat hæc Officia Tullius *iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta; item, quæ sine detrimento commodari possint.* A Pufendorffio aliisq; appellantur Promiscua Humanitatis Officia; sive Innoxiae utilitatis; utpote quæ accipienti profunt, danti non obsunt.

V.

Quare & his utendum est, & semper aliquid afferendum ad communem utilitatem etiam ignotorum ac peregrinorum. Ita ne perdamus nutrimenta, ob nimiam copiam; sed de abundantia nostra & ubere messe aliis etiam quid relinquamus. Vid. Levit. XIX. 9. 10. XXIII. 22. Deuteron. XXIV. 19. 20. 21. Huc quoque pertinet Disputatio illa apud Plutarchum Lib. VII. Sympos. Quæst. 4. *Quare veteri-*